


Vg  
3358





F.K. 47.

V  
3358

HOC PRÆFAMINE

DE

FAVTORIBVS AVGVSTANÆ  
CONFESSI<sup>N</sup>IS

INTER IPSOS ADVERSARIOS CIRCA EJVS. INCVNABVL<sup>A</sup> DEPREHENSIS

V I R O S

SVMME, MAXIME- ET PER-REVERENDOS,  
PRÆ- ET NOBILISSIMOS, AMPLISSIMOS, CONSVLTIS-  
SIMOS, EXPERIENTISSIMOS, DOCTISSIMOS, CLARISSIMOS,  
VEL ALIO QVOCVNQUE HONORIS TITVL<sup>O</sup> COMPELLANDOS,

QVI VEL NVT<sup>I</sup> SVO ET PROVIDENTIA, VEL FAVORE ET LIBERALITATE SVA REM  
NOSTRAM SCHOLASTICAM TVENTVR,

AD

BENEVOLE AVDIENDAS VII. ORATIONES

DE

FIDEI CONFESSI<sup>N</sup>E ET CONFESSORIBVS,

CIRCA BISECVLARE FESTVM, IN MEMORIAM SAXONVM CONFESSI<sup>N</sup>IS AVGVST<sup>A</sup>  
VINDEL. QVONDAM EXHIBITÆ CELEBRANDVM

IN SCHOLA ANNÆ BERGENSI

A QVIBVS DAM

PRIMI ORDINIS DISCIPVLIS.

HABEBVNTVR,

DECENTI RATIONE INVITAT

M. JO. FRIEDLIEB STVBELIVS,

RECT.

ANNÆ BERGÆ,  
STANNO AVGVSTI VALENTINI FRISI<sup>I</sup>.



**C**um illa, que tempore Confessionis Saxonicae Anno post salutare Virginis puerperium cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> xxx. Augusta Vindelicorum Carolo V. Cæfari exhibenda imo & exhibitæ gesta fuerunt, cum meis reperterem nuper, ne historiam illius rei, quæ secularia hæc gaudia nobis peperit, ignorarent, multi occurrerunt mihi inter ipsos adversarios, quorum singularis benevolentia erga doctrinam in illa Confessione propositam eique addictos satis fuit perspecta. Hos curioso tum oculo in eam rem designatos nunc è Celestino, Chyträo, Selneccero, Seckendorffio, Mullero, Buddeo Saligio & Tomis Lutheri in medium producere placet, ut etiam aliis innotescant, sive appareat, Confessioni nostræ mente a pluribus, quam manu esse subscriptum. Primus locus inter Fautores Conf. Aug. Principibus debetur viris, quos non paucos dabisimus. In his ipse Carolus V. Imperator eminet, de cuius divino in puriora sacra & hanc Confessionem studio nemo facile dubitabit, qui Epistolas Melanchthonis legit, hoc ei testimonium perhibentis, nihil mitius illo in totis comitiis fuisse. Horum sub initium statim certissima favoris sui dedit argumenta. Cum enim mox post adventum ejus de abrogandis concionibus ageretur, & Ferdinandus R. Electori Saxoniæ & sociis, ut clementius secum agatur, postulantibus præsente Cæfare respondisset, precibus non esse locum, coque auditio Georgius, Marchio Brandenb. pio ardore excandescens, se prius caput abscedendum carniſ & porrecturum, dixisset, quam Deum ejusque sanctissimum Evangelium abnegaret, Cæfer dextra sua clementissime palpans Marchionem, mi Princeps, inquit, non agitur jam te capite tuo. Nec audiuit deinde flavifugentes confilia infestumque eum nostris reddere conantes Principes, quibus id dedit responsi, se facturum quod jus & aequum funderet. Adactis postmodum ostingentis, quos alebat, militibus novæ sacramenti formulae, qua fidem adstringere jubebantur, nec adhaerere se, nec unquam adhaeruros Luthero, ducibusque eorum rogantibus, ut super sedere id aliceret, ne prætextu Lutheri ipsi mutare cades perpetrentur, ratas habens eorum preces non sine indignatione dixit: Si sacerdotes nostri pietatem colerent, non opus esset Lutheru correctore. Propensissimam quoque voluntatem post Confessionem publice recitatam declaravit. Finita enim prælectione alterum ejus exemplar, Latinum nempe, e manu Pontani, utrumque Alex. Schveisio, qui Carolo a secretis erat, tradituri, ipse accipit sibique servavit serena & explicata fronte subindicans, doctrinam Protestantium ex his tabulis cognitam sibi non displicuisse. Qva de causa etiam confutationem ejus a Theologis pontificiis acerbioribus aequo verbis conceptam repudavit primum, eamque mitius informandam censuit. Scimus præterea, illum non dubitasse fateri coram Landgravio, Confessionem amice cum Scriptura S. in plenisque conspirare, de exteris tantummodo rebus nonnullis esse dissensionem, de quibus in Concilio agendum paret. Et licet ultima ejus sententia Protestantium votis non responderit, invito tamen illo latam hanc fuisse, velinde constare potest, quod severitatem illius per alios apud Saxonem & socios excusaverit, & post Principum quoque discessum favorem ejus, quo Confessionem professa-queba-

quebatur, nil mutatum fuisse, vox illamemorabilis testatur, quam, Pontano perpetuum hujus symboli cum divinis literis consensum fortiter urgente, emisit: *ab necessitate est, doctrinam illam, quam Lutherani profidentur, plus babere fundamenti, quam quidem nos opinamur.* Ferdinandum Regem, qui à latere illius durantibus comitiis nunquam discessit, ne nunc quidem longius ab eo sejunctum esse patiemur, Fautoribus A.C. omnino accensendum. Etiam si enim non bene primum de ea sentire vitus sit, & Lutherum ita odio habuerit, ut exsecrandam & plane abominabilem ejus doctrinam pronuntiaverit, placatum tamen a Maria sorore, pariter hic memoranda, & causa accuratius perspecta mox fidei nostræ, quam ipse Imperator factus clementissime tovit, applausissime, ex epistola ad Ge. Casandrum data fit manifestum. Stockflethus inter eos, qui expressiorum significationem voluntatis suæ erga Aug. Conf. sub id tempus dedere, omnes fere Electores, Albertum Moguntinum & Hermannum Colonensem, Brandenburgicum item Joachimum & Fridericum Palatinum, una cum Palatino Othono Henrico & Gvilielmo ac Ludovico, Bavariae Ducibus, Duces insuper & Principes Brunsvoices & Mechelburgenses vult referri. Et de Moguntino quidem satis constat, eum studia sua erga nostros vultu & verbis saepe tum significasse. Sub ipsum enim Comitiorum auspicio Vincentio Pimpinello, homini Italo, in sacro illo, quod mislam vocant, publice verba facienti & in Germanorum defectiōnem atque duritiem acerbius paulo invehentigraviter succensuisse, orisque illa, qua usus erat, libertate valde offendisse esse, perhibent. Idem Joh. Ecclii immodestiam in disputando acriter increpuit, & cum praecipitari omnia perque iram & odium agi videret, conventibus de religione deliberantium interesse amplius noluit, discessum minitatus, nisi fanoraaferrent, imo morbum aliquando finxit, eoque absentiam suam excusavit, ne cruenta, quæ naufragabat, consilia audiret. Nec pejus erga Protestantes affectus tuuisse fertur Colonensis, palam contestatus ante Comitia, se ditione sua a quo animo caritatum, modo res concordia coalescere possent. De Gvilielmo autem, Bavariae Due. accepimus, illum veritatis vi permotum temperare sibi non potuisse, quo minus Electorem Sax post editam modo Confessionem blanda oratione compellaret, conceptisque verbis eam laudaret. Addunt, quod reversus in hospitium professus sit, doctrinam Protestantum longe aliter se habere, atque ad se ante fuisset relatum, proptereaque D. Ecclium, nullo negotio eam profligari posse gloriatum ita sit allocutus: *heus tu, etiamnum putas, refutari posse Lutheranorum dogmata?* cumque regessisset ille, è scriptis Prophetarum & Apostolorum ea refelli vix ac ne vix quidem posse, in Patrum autem dictis & Conciliorum decretis sicut esse aliquid adversus illa presidii, id quod etiam omnes ejus socii fassi sunt, Bavarius averlus ab eo se factam Lutheranis injuriam ægre ferre, non obscuro indicio prodidit. Ita Henricus, Dux Bruns. durus alioqui, Melanchthone in convivium adhibito, capitâ illa Confessionis de utraque specie, de conjugio sacerdotum & te tollendo ciborum delectu omnino esse approbanda, candidè pronuntiavit. Cumque Henricum Me-

Mechlenburgensem, Electoris Sax. affinem, aliquoties senatu prohibitum inveniamus, quando de Confessione consilia conferre placuit, facilis hinc conjectura datur, eum faventem Evangelicis animum sepe numero aperuisse, atque ideo reliquis fuisse suspectum. His etiam Pomeraniæ Duces & Georgium Ernestum Hennebergicum addere possem, quos causæ meliori pariter cupuisse ajunt, publice tamen tueri eandem noluisse. Alios quoque multos Principes, qui Aug. Comitiis interfuerere, patrocinatos esse, Confessioni, Commentariolum illud Historicum Spalatini, res quasdam in his Comitiis gestas complectens & Tomo V. Jenensi atque Altenb. Opp. Lutheri insertum, nos abunde docet.

Principes excipiunt illi, qui Principibus fuerunt à consiliis eorumque oratores & domestici, quorum multi Confessione & Confessorum constantia delectati sunt, eamque laudarunt atque defenderunt. Sane Spalatinus modo memoratus ibidem scribit, non facile Principem aut Episcopum Augustæ inventum, in cuius aula non aliqui saltem Lutheri & fidei purioris, imo & conjugii sacerdotalis, fautores fuerint comprehensi, quantumvis id indignantibus Dominis, quos propensio eorum haud potuerit latere. Nec defuisse scimus, qui licet periculum esset rectiora svadere, procul tamen habito omni metu Principes suos commonuerint, ne acerbiora consilia admitterent, prædicentes, si rem dubiae belli aleæ committtere vellent, ipsos eorum cives detrectaturos obsequia, atque arma attingere recusaturos. Unde etiam quidam Principum amici consilia mitiora suppeditantes gratia eorum exciderunt, & deliberationibus de religione institutis exesse jussi sunt, quod Dominis mala machinantibus obloqui spemque hostium nostrorum evertere ausi fuerant. Inter Legatos commendari meretur Dantis, quem Rex Poloniarum miserat, vir probus & veritatis amans, cui nullum verbum, quod fraudi esse possit nostris, quorum familiaritate & consuetudine non sine voluptate usus est, excidisse legimus. Nec male de Confessione meritus est Juliacensium Ducis Orator, Comitis dignitate præfulgens, cui non rata habent omnia, quæ coquebantur, accessu ad deliberationes publicas interdicere reliqui conati sunt, licet nil moratus eorum iras sponte locum suum iterum occupaverit. Ipsa Imperatoris Caroli & Ferdinandi R. aula non adeo sterilis fuit ejusmodi ministrorum, qui cognita causa bonitate de Lutheranis recte cooperunt sentire, eorumque salutem defendere non dubitarunt. Principes eorum fuere Alphonsus Valdesius, Hispanus, & D. Corn. Scepperus, Carolo a literis secretioribus, qui videnti Melanchthonis cumque eo colloquendi, quo flagrabant, desiderio obsecuti, facta ejus copia, significarunt illi, Hispanis persuasum esse, Lutheranos impie de SS. Trinitate, de Christo, deque matre ejus virginem loqui, & ob hanc causam nomen Lutheri illos adeo hacenus perosos esse, ut citius Denim Lutherani, quam Scytha cuiusdam truculentissimi, cede placari existimaverint. Id cum Melanchthon ex multis ejus gentis se ipsum audivisse, neque opinionem illam ex animis eorum evellere potuisse, responderet, Alphonsus dixit, se paulo ante Cesari, data occasione, summam fidei, quam Lutherani sequantur, exposuisse, ut intel-

intelligeret; non adeo Ecclesiam Cathol. per eos oppugnari, quam vulgo putaretur. Omitto reliqua, quæ Seckendorffius ex Coelestino afferit, ad Scepperum redire festinans, a quo hanc sententiam latam esse didici: *Si opibus affluerent Protestantes, facile illos de Italis religionem emturos, quamcumque optarent, nunc autem paupertate oppressis obtainende sue vix ullam spem superesse.* De Hispanorum in Lutheranos implacabili odio diximus modo: illud tamen nec fuisse omnium, nec inter necinum in omnibus, tum ex Alfonsi moribus, quos vidimus, tum ex procerum Hisp. responso, quod Cæsari illos consilienti, *quaratione agendum cum Lutheri affectis putarent?* reddidere, appareat. Scilicet, *quam sibi videri responderunt, ut Cæsar si quid in Confessione eorum cum fide Catholica pugnans inveniret, nihil non experiatur, quo tolli pestis illa queat: si vero controversia esset tantummodo de externis quibusdam ritibus, nolle se, ut gravius aliquid in eos decernat.* Illt vero de re omni plenius constet, probis quibusdam hominibus, qui partium studio non teneantur, id dandum negotii, ut eorum placita examinent. Cæcus sit oportet, qui favoris aliquos hic emicantes igniculos non agnoscat, aut plane alienos à Conf. fuisse ita judicantes, contendere velit. In domesticis Imperatoris etiam fuisse suspicor illum nobilem, qui, cum Theologi pontificii magnam librorum adversus Lutherum emissorum farraginem Cæsari obtulissent, hæc plena indignationis verba protulit: *non prius acquiescent scurræ isti, quam nos omnes obtritos summaque imis misera videant: bilem movent Cæsari, ejusque animum ad pacem & pietatem proclivem perturbant atque inflammant.* E Ferdinandi autem familia D. Paulus Ricenerus, Regis Medicus, venit commendandus, quem honestissime de rebus nostris sensisse & contrariae partis inclemantium & severitatem valde demiratum, secum etiam forte detestatum, fama est.

Nunc ad sacri ordinis homines devenio, quos ut omnes abhorruisse credam nostram Confessionem tantum abest, ut plurimos potius ei fuisse plane sim persuasi. Miraberis forte, si etiam Campedio, Romani Pontificis Oratori, data opera hoc usque reservato, locum aliquem assignavero inter ejus Fautores, quem tamen hostem puriorum sacrorum fuisse, est in propatulo. Verum, etiamsi concedam, multis convitiis & maledictis illum in nostros sepe esse debachatum, ne partibus suis parum fecisse satis videretur, id tamen affirmare ausim, longe aliter animo erga Confessionem fuisse affectum, ac verba interdum sonuerint. Sane non potuit à se impetrare, ut illa omnia abjiceret & condemnaret, quæ nostri statuebant, & cum vel maxime Esavum externo habitu præse ferret, Jacobi tamen vocem non plane poterat dissimulare. Non enim ingemuit solum calamitatem temporum, & dudum se mente hoc precepisse, dixit, *monachorum inauditam multitudinem, (impietatem luxum & petulantiam fortassis etiam dicere voluit) grande malum Ecclesie conflaturam;* sed coram aliis etiam hoc profiteri non erubuit, *veniam concedi posse doctrine Protestantium, rem vero esse mali exempli, quia metus fit, ne aliae etiam nationes præter Germanicam simile aliquid moliantur & postulent, dumque in mandatis sibi esse non negavit, ut nonnullis circa sacra abusibus medeatur, eosque tollat, Confessioni hospios exscranti testimonium non ignobile perhibuisse ille purpurtus.*

(

tus, ipseque Romanus Praeful Protestantium querelas non contemnendas putasse dicendus est. Nec vero è sacro Pontificis senatu ille solus Confessioni calculum adjecit suum, sed longe plures hujus dignitatis viros eidem esse suffragatos novimus, non inficiantes, doctrinam nostram sese satis recte habere, nigraque nota non esse dignam, modo pluribus consultis emendatio fuisse suscepta, qua semel in invidiam adducta, modum se non dispicere affirmarunt, quo concordia reparari posset. Cinxere latus eorum multi Episcopi, è quibus Augustanum, nobilissima à Stadio gente ortum, præ reliquis laudandum arbitror. Hic (liceat rem totam ex Cœlestino huc transcribere, quod etiam Ill. Vito licuit,) in confessu Principum in id delectorum, ut de componendis dissidiis Ecclesiasticis & reconciliandis partium animis agerent, dicendi occasionem nactus, oratione serua & pia id egit quam diligentissime, summam darent operam præsentes caverentque, ne quid verbo divino contrarium & ab aquo justoque discrepans in causa religionis definirent & statuerent. Nimirum verum & manifestum omnibus esse, quod Lutheranus sententia adducti nullum Christiane fidei articulum hactenus assertionibus & disputationibus suis oppugnare vel evterere conati essent. Que cum vera ita se haberent, omnes pios & amantes pacis viros decere, ut de mediis & viis ad pristinam Ecclesie tranquillitatem & concordiam recuperandam, confirmandam & conservandam profuturis & idoneis unice cogitent. His auditis, Archi-Episcopus Salisburgensis, conversa ad Augustanum oratione, hisce eum verbis allocutus est: *Unde tibi hec subita mutatio & insperata sanctitas? alienam mentem & de religione sententiam me exte non ita pridem audigisse, recenti etiamnum memoria teneo.* Cui Augustanus respondens his sese defendit verbis: *Non equidem, me hactenus in vita mea curriculo multa impia & reprehensione digna facta designasse, diffiteor; sed abjurata impiate & rejectis malitiosa vita illebris, aliam vivendi rationem ingredi, præsens me tempus & occasio jubet.* At, ne quid disimulando pretream, Episcope Salisburgensis, tua fortassis vita institutum meo non multo est religiosus & melius. Tanto vero tuum propositum meo & pejus & abominabilius, quanto majori pertinacia & contentione peccata tua excusare, idolatricos abusus palliare & impiam doctrinam defendere atque stabilire conaris, cuius impietas ut me participem faciam, Deus prohibeat & avertat! His ejusmodi verborum strepitu inter se altercantibus, Joachimus I. Elector Brandenb. adfuit, ac voce elevata in hunc sermonem erupit: *quod Lutherani nullum Christiane fidei articulum evertant, nequaquam cum veritate convenire.* Augustanus igitur veritatem dictorum quo acrius ursit, eo vehementius reclamavit Brandenburgicus. Quapropter fidei articulos, à Lutherano oppugnatos & eversos recenseri & indicari sibi Augustanus petiit, cujus petitioni Brandenburgicus aumuens, Ecclesiam Catholicam & Sanctorum invocationem a Lutheranis negari, exterminari & rejici, affirmavit; sed Augustanus, invocationem Sanctorum fidei articulis eximens, & Lutheranos non Ecclesiam Catholicam, sed abusus tantum in Ecclesia Rom. harentes taxare & oppugnare, monens, multos crassos & periculojos errores in ea reliquos esse, neminem inficias ire posse, dixit. Archi-Episcopus & Septemvir Moguntinus, Albertus, talium altercationum & rixarum illi loco & temporis parum convenientium pertensus,

ut

ut finem contendendi facerent, petiit, de multorum abusuum emendatione  
& pace publica per imperium Rom, constituenda serio eos cohortatus.  
Repetita hac post meridiem contentionē & auēta, alteroque mendacij al-  
terum coarguente, a verbis pene ad verbera est deuentum. Videmus  
itaque, Virum hunc magnae autoritatis omnes Confessionis articulos  
ab haereseos nota absolvisse, emendatum, postquam se errasse antea &  
deliqvisse senserat. Habeo etiam alias inferioris ordinis Theologos pon-  
tificios, quorum nomina huic catalogo Fautorum C. A. attexam. Pal-  
mam præripiunt reliquis Mensingius, Prædicatorum ordinis socius, &  
is, qui Carolo Imper. fuit à Confessionibus audiendis & à concioni-  
bus in aula habendis, homo ex discalceatorum familia probus & integer.  
Alter, Joachimi Marchionis Brandenb. comes & gravis Lutheri antea  
adversarius, pertæsus disputationum, quas socii initituebant, *nisi melio-*  
*rem inirent rationem, se cucullum etiam mox abjecturum (id enim sibi per-*  
*inde esse) minitatus, ob hoc dictum cum Principis illius graviter hac voce*  
*offensi filio, non invitus quidem, domum redire jubebatur: Alter vero,*  
*mirari se, dixit, eruditos quosdam in Germania ea loquendi formula offendi,*  
*qua homines per fidem justi coram Deo & sanctie vadere dicantur, quam etiam*  
*ipse Verbo divino plane consentaneam dudum defenderit. Unde nemini mi-*  
*rum videri poterit, cur eum Eccius, Faber, Wimpina & Cochlaeus à suo*  
*confortio arcuerint, consiliorumque suorum noluerint esse partipem,*  
*quippe cui etiam cum Medardo, quo stentore Ferdinandus utebatur,*  
*hoste Lutheranorum infensissimo, non bene convenisse, narrant qui*  
*August Conf. historiam condiderunt. De Mariæ Reginæ concionatore,*  
*qui nostris etiam optime velle vifus est, nihil nunc moneo, nec de iis, quos*  
*Moguntinus secum habuit, sacris oratoribus, ideo haereseos nomine su-*  
*spectis, & à consiliis Theologorum aliquoties remotis, quod rectiora*  
*docentes credentesque condemnare nollent, nunc duumviros illos ex*  
*reliquorum literatorum cœtu producturus in scenam, Erasmus nempe*  
& L Paulum Rosellum. quorum prior ille ab Imperatore ad Comitia invi-  
tatus valetudinis obtentu venire renuit, Joh. Dantisco & Melanchthoni  
indicata per literas sententia, quæ eo collinecabat. *iis difficultatibus la-*  
*borare causam religionis, quibus Synodus Oecumenica tollendis vix sufficiat, in-*  
*primis cum mos nunc ita ferat, ut qui dicant, quod sentiant, Lutheranismi statim*  
*rei peragantur, unde vix sperare posse, se ad componendas controversias salutare*  
*aliquid collaturum, contestatus alibi, emendationem sacrorum procedere ex vo-*  
*to non posse, nisi ab ipso Pontifice R. capiatur initium: Hic vero, Rosellius, Me-*  
*lanchthonem monuit epistola Venetiis ad eum data, ne ulla in re cederet*  
*adversariis, inter quos tanquam lupos nunc versaretur, suaque constantia fa-*  
*mam retunderet, quem narret, nimis multa illum Campiego concessisse.*

Aequum est, ut etiam civitatum quarundam benevolentiam erga Confessionem prædicemus. Significarunt autem studia erga illam sua Argenti-  
nenses, in duobus modo capitibus à nostris tunc dissidentes, nec non Francoturientes palam testati, se Confessioni Electoris Sax. adhæsuros: &  
ipsis adhuc Comitiis durantibus Vinshiemenses, Heilbrunnenenses, Campidu-  
nenses & Weissenburgenses partibus nostris, paucitate illa nil territi, lau-  
dabili imitatione Norimbergensium & Reutlingensium, accesserunt.

Præ-

Prætereo Lubecenses & Lunæburgenses aliosque, quos circa idem tempus doctrinæ defecatioñis amore correptos Evangelium receperisse Jo. Pomeranus per literas Melanchthoni Augustæ versanti nuntiavit. In iis vero locis, ubi toti universitati illa non placuit, quidam faltem, rari quippe in gurgite vallo natantes, miro ejus studio tenebantur, nec ipsa Italia ejusmodi hominibus vacua erat, in quibus genuinæ fidei & sinceri cultus amor & desiderium vigebat, unde quamplurimos illarum terrarum incolas eventus, quem negotia illa Augustana habitura essent, expectatione penne contabuisse, Roselli in Epistola supra allegata indicavit. Quin Martis quoque filios, quos hoc agmen claudere jubemus, tunc agnovisse, quid dissent aera lupinis, nec Protestantium conatus odiisse, ex ea narratiuncula, quam Spalatinus habet, colligi poterit. Capite truncandus erat de sententia judicium Hispanus, qui civium suorum quempiam gladio transfixum necaverat. Is jam flexis genibus subiturus supplicium hoc rogavit adstantes, ut illa precatioñum perfectissima formula, qua Servator nobis precivisset, pro se apud Deum intercederent, utque hoc facturi dígo erecto voluntatis sua aliquod signum darent; hoc nemo quisquam militum, qui adfuerunt, recusavit, cum vero illos obtutus esset insuper, ut sacra feralia pro ipso defuncto fieri aliquoties juberent, ne unus quidem inventus, qui dígo erecto id vellet polliceri, quibusdam exclamantibus: nullus Missæ amplius est valor! Non vero gregarii solum milites, verum etiam præfecti eorum Lutheri instituto favebant: cuius rei fidem nobis facit exemplum Centurionis Hispanici, qui petulantiam popularis sui Melanchthonem sic insultanti: Hem venietne etiam Lutherus, monachus ille, qui westalem duxit, Antichristum forte ex ea procreaturus? his verbis inhibuit: Taceas velim, Lutherus non est talis, quem nobis fingimus; legi quadringentas illas Thesæ, quibus cum oppugnare aggressus es: non autem credo, Lutherum jure ab eo accusari. Piget ea, quæ de duotoribus ostingentorum militum è Cæsare in custodiā corporis sui tunc adhibitorum supra commemoravi, utique huc spectantia, repetere, necrambe bis cocta Benevolis Lectoribus fastidium moveat, nimia verbositate non offendendis; idque cavens huic opellæ mox finem imponam, quem etiam angustum chartæ spatiū mihi indicit, si illos prius rogavero, ut Oratores meos VII. numero, quorum gratia hoc, quicquid est, prelo subjiciendum fuit, benebole audire ne graventur. Dicent autem, sermone omnes Lat. prof. usuri, hoc ordine:

- I. GEORGIVS FRIDERICVS MULLERVS, Frohnau. Prologus futurus, Natalem Aug. Conf. celebrabit.
  - II. JOH. CHRISTOPH. PFLVGEBIL, Mauromontanus, Necissatus Confessioñis Fidei dabit demonstratum.
  - III. JOH. CHRISTOPH. NIEMERVS, Wiesensis, Diffinutionem Fidei & Religionis illicitam damnabit.
  - IV. JOH. DAN. HEYDVS, Zottovicen. Prudentiam Christianam circa Professioñem Fidei delineabit.
  - V. JOH. AVG. HVBSCHMANNVS, Annabergens. Celeberrimos Fidei Confessores ex omnium temporum memoria reperiitor sicut.
  - VI. JOH. GOTTLIEB SCHNEIDERVS, Schmiedebergeaf. sigillatim JOHANNEM Confessorem, Sax. Elec. ejusque Socias laudabit. Et tandem
  - VII. JOH. FERDINANDVS SCHEVERECKIVS, Annæb. Lutheranos ad perpetuam in Fidei purioris professioñem Confessioñem hortabitur.
- Facite, INSPECTORES GRAVISSIMI, FAUTORESQUE OPTIMI, ut hos, quos tradimus Vobis, Aug. Conf. Fautores, Nostris, dicturis de Confessione fidei, alios Fautores peperisse intelligamus, hincque frequentes adeste, adeste faventes!

V D 48

ULB Halle  
007 543 808

3





59  
HOC PRÆFAMINE

DE

**FAVTORIBVS AVGVSTANÆ  
CONFESSIÖNIS**

INTER IPSOS ADVERSARIOS CIRCA EJVS. INCVNABVL A DEPREHENSIS

**V I R O S**

SVMME, MAXIME ET PER REVERENDOS,

LISSIMOS, AMPLISSIMOS, CONSVLTIS-  
NTISSLIMOS, DOCTISSIMOS, CLARISSIMOS,  
VNQVE HONORIS TITVL O COMPELLANDOS,

PROVIDENTIA, VEL FAVORE ET LIBERALITATE SVA REM  
NOSTRAM SCHOLASTICAM TVENTVR,

AD

**E AVDIENDAS VII. ORATIONES**

DE

**ESSIÖN ET CONFESSORIBVS,**

QUA

VM, IN MEMORIAM SAXONVM CONFESSIÖNIS AVGVSTÆ  
L. QVONDAM EXHIBITÆ CELEBRANDVM

HOLA ANNÆBERGENSI

A QVIBVSDAM

MI ORDINIS DISCIPVLIS.

HABEBVNTVR,

DECENTI RATIONE INVITAT

**RIEDLIEB STVBELIVS,**

RECT.

ANNÆBERGÆ,  
NO AVGVSTI VALENTINI FRISIL



**Farbkarte #13**

B.I.G.	Black	White	3/Color

Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

Blue	Cyan	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color

Green	Light Green	Dark Green	Black